

RECTOR ILLUSTRIS GYMNASII PROVINCIALIS, RUTHENO GERANI,

M. HIPPOLYTUS HVBMEIER. P. L. Casar.

L. B. S. P. D.

Postquam melior hoc orbe locus tandem Christum nascentem vidisset, & ille digito Iohannis monstratus esset, abique caula non factum est gravi & asserenda, ut quoties rei huius sacratissimam recoleremus memoriam, piorum consensu aliquot præmitteretur septimanæ, in quibus præter cætera, digitus & vox Iohannis Præcursoris exhiberetur & sonaret in ecclesia fidei; *ἐπισημαίνοντες τὸν δεικνύμενον*. Cuius rei recitandam nemo est, qui non facillè deprehensus sit, dignitatem tanti mysterii, & tam magni observans, necessitatem identidè ob salutis effectum, paulò considerantius attendens. Quis enim qui nascitur? Christus Iesus. Quis ille? Deus. Homo? Quo cognito omnis natura in stuporem, omnis homo in admirationem, omnis fidelis & Christianus in celebrationem festinè ire debet, ob rei magnitudinem tam devotam, piam ac promptam, quantam cogitatione assequi, bonorum exemplo conari, optimorum virtute exprimere possit amplissimam. Licet Deus cunctos dies creaverit (inquit Cassiodor sup. Psal. 113. in hæc verba, hæc est dies, &c.) singulariter tamen hunc fecisse dicitur, qui Christi Domini natiuitate sacratissimus est; in quo merito exultare convenit & lætari; quoniam in eo & Diabolus ius perdidit, & salutem mundus accepit. Digna verba cædro & observatione, sed magis digna corde & recordatione. Quorum vim & finem utinam sentirent stupidi, qui hic stupere nesciunt? Securi, qui hæc mysteria ceu pecora transeunt: oscitantes, qui Christi nomen gerunt quidem sed de Christo parum solliciti sunt. Ethnicos & à Christi nomine & cultu remotos populos, legimus & audimus, quoties res graves ac arduas tractaturi erant, valde attentos, vigiles, solertes, laboriososque extitisse; nos illis si inferiores fuerimus, probè videamus ne noimct nostri fors poeniteat, cum improbitatis & detestandæ malitiæ ac negligentiz, in his sacris & sanctis commissæ, poenas dare erit iuste ire. Quapropter ut vox Iohannitica *ἐπισημαίνοντες* aures & oculos nostros circum sonet, opera danda erit sedula, ne nostro cum malo audiat in aliam partem, illa crudelis: *ὡς ἂν ἰσχυροὶ, πρὸς ἑσπέρην*; O homines quo ferimini. Iohanniticam iccirco *ἐπισημαίνοντες* ac directionem, hoc tempore Adventus respicientes, ac festi salutiferi Maiestatem ingentem tuentes, ut adolescentes atque alumnos gubernationi nostræ commissos, quasi virgula divina dirigere-mus, in publicum prod re iussimus, atque laudibus Christi de prædicandis orationes aliquot habere dedimus. In quo proposito ut eorum captum tam, quàm rerum expeditionem obtineremus, non statim in summa mysteria de stupenda Incarnatione filii Dei admittimus, sed ut magis sobriè egisse viderentur magis decenter ac ordinatè, cum pastoribus in stabulum, Bethlehemiticum descendere dignum putavimus, quod sequenti triduo, Deo, cui acceptum hoc volumus unicè, elementer concedente, expurgandum & innovandum mandavimus; ita quidem, ut

Crastina die Luna 2^{da} Dec. h. 1. pomerid. stabulum ipsum aperirent, &

I. HERMANNUS CASARUS, Lohensteinio Vicedominus, stabuli factorem & architectum proferret.

II. IOHANNES LIND/ Cicensis, stabuli factorem diceret.

III. IEREMIAS NICTER/ Aquensis Saxo, stabuli aliquot varietates ceu species exhiberet.

Die Martis 4^{ta} Dec. hora prima pomerid. Asinum & Bovem in stabulo producerent.

I. FRIDERICUS SCHINDLERUS, Leitnicensis, de Bove differeret.

II. CHRISTIANUS STIMMELIUS, Geranus, de Asino diceret.

Die Mercurij, DEO volente, Præsepe cernerent, hora prima pomerid.

I. NICOLAUS EICHLER, Calensis Tyrig, Præsepi duritiem & obscuritatem, enunciaret.

II. CASPARUS HERMANNUS, Friedebachensis; quomodo Christus servator Præsepi impositus sit, exponeret.

III. NATHAN SCHEUFFELIUS, Orlheimensis Sævi, Præsepi species, in quib. Christus adhuc reperiri vult, recèteret.

In quib. materiis etsi plura alia dispicienda nō ignoremus, tum quod multa in hoc stabulo supersint videnda, ut parentes Maria & Ioseph; ipse Infantulus immanuel dulcissimus; rām præterea fasciæ & tœnū ac stramen, in quib. exerceri discentes possent; tamen quia simul & semel omnia in rebus tantis non sunt prodigenda, vel aliorum iudiciis, vel laboribus, vel etiam temporibus relicta ac reservata volumus. Interim rogamus magnoperè, Vires Præclaros, Eruditos, Conspicuos, literatorum, ac literarum fautores, magnificos, reverendos, excellentes, aliosque humanioribus artibus & partibus deditos, ut quantum occupationes a, liz admiserint graviores, honori id DEI tribuant, & auditores ac spectatores se præbeant benevolos, oramus enixè & amanter. Quod hoc Officium DEO gratum, Illustri & Generosiss. Dⁿⁱ Dⁿⁱ. HENRICO RUTHENO IUNIORI, Dⁿⁱ, à Plauen, &c. S. Cæs. Majest. Consil. Magnifico, qui huius lux Scholæ præsepe tam elementer fovet, acceptum, nostro cum primis ordini honorificum: Et gratiam ex LESULO nostro cuique optamus piè ac devotè. Vos porò quibus hæc optatissima esse debent, Alumni Scholastici, vestram devotionem, morum probitatem, observationem omnium, quæ pro DEO laude & hic & hoc festo, alii que gerentur exercitiis, probate: Et hoc nobiscum diligenter hoc & omne expendendum tempore sumite; Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Cui continuo alterum D. Augustini subiicite: Tota vita Christi in terris per hominem quam gessit, disciplina morum fuit. Faxit ille, ut nostrum stabulum purgetur, Bos terociens & Asinus tardus adducatur, & simus Præsepe dignum. V. P. P. ipsa Thomæ, 21. Decemb. M. DC XII,

Gera ad Elystrum, Typis Hæredum Martini

Spießy, Anno M. DC. XII.

